aut? Quia bonorum meorum non eges. Tu eges
bono servi tui eget servus bono tuo ut pas
cas illum. Eges et tu bono servi ut adiuvet
te. non tibi potes aquam implere non tibi potes
coquere non tibi potes ante equum currere in
menti tuum non potes curare. Vides quia indi
ges bono servi tui. obsequio illius indiges.
Non es ergo verus dominus. qui indiges inferiore.
Ille est verus dominus qui nichil a nobis querit. Ve
nobis si eum non querimus. Nichil a nobis querit.
et quesivit nos cum eum non querebamus. Ovis
una erraverat. invenit eam gaudens in
humeris suis reportavit. Et numquid ovis
erat pastori necessaria? et non ovi pocius pastor
necessarius erat? Quanto libencius de caritate
te loquor: tanto minus volo finem explicare
istam. Nulla est ardencior ad commendandum
caritatem nichil vobis dulcius predicatur. nichil
salubrius bibetur. sed si bene vivendo confirmetis
in vobis munus dei ne sitis ingrati tante
gracie illius. Qui cum haberet unicum noluit
illum esse unum. sed ut haberet fratres adop
tavit illi. qui cum illo possiderent vitam eternam.
Explicit omelia viii. Incipit ix. ab eo quod ait In
hoc perfecta est caritas in nobis ut fiduciam habeamus

In die iudicii etc. usque ad idolis. oc mandatum habemus

m

Meminit caritas vestra ex epistola beati Iohannis apostoli et evangeliste ultimam partem restitisse nobis tractandam et exponendam vobis quantum dominus donat. Huius ergo debiti nos memores sumus, exactiones autem vos memores esse debetis. Eadem quippe caritas que in ipsa epistola maxime et quippe sola commendatur, et nos facit fidelissimos debitores et vos dulcissimos exactores. Ideo dixi dulcissimos exactores, quia ubi caritas non est amarus exactor est. Ubi autem caritas est, et qui exigit dulcis est et a quo exigit. Et si aliquem laborem suscipit, facit eundem laborem quippe nullum et levem ipsa caritas. Nonne videmus etiam in mutis animantibus et irrationabilibus, ubi non spiritualis caritas sed carnalis et naturalis est, exigitur tamen magno affectu de uberibus matris lac a parvulis. Et quamvis sugentis impetum faciat in ubera, melius est tamen matri quam si non sugat nec exigat quod caritate debetur. Sepe videmus ubera vaccarum et a grandiusculis vitulis capite percuti, et ipso impetu levari matrum corpora, nec eos tamen calce repellere, sed si desit filius qui sugat mugitu vocari ad ubera.

Si ergo est in nobis illa caritas spiritualis de qua
apostolus dicit: factus sum parvulus in medio vestrum
tamquam nutrix fovens filios suos. tunc nos
diligimus qui crevistis. pigros non amamus
quia languentibus formidamus. Intercesserunt autem
ut intermitteremus textum huius epistole quedam per
dies festos solempnia lectionum que non potue
runt nisi legi et ipsa tractari. Nunc ergo ad
pretermissum ordinem redeamus: et quod restant
intente accipiat caritas vestra. Questio
utrum magnificentius nobis caritas commen
dari posset: quam ut diceretur deus caritas est. Brevis
laus et magna laus. Brevis in sermone
et magna in intellectu. Quam cito dicitur deus dilectio
est et hoc breve est. Si numeres unum est.
si appendas quantum est. deus dilectio est. Et qui
manet in dilectione: in deo manet et deus in
eo manet. Sit tibi domus deus. et esto domus
dei. Mane in deo et manet in te deus.
Maneat in te deus ut te contineat maneas
in deo ne cadas. quia sic de ipsa caritate dicit
apostolus. Caritas numquam cadit. Quomodo cadit quem
continet deus? In hoc perfecta est dilectio in nobis
ut fiduciam habeamus in die iudicii. quia sicut
ille est et nos sumus in hoc mundo. Dicit quomodo
se probet unusquisque quantum in illo profecerit caritas:
vel potius quantum ipse in caritate profecerit.

Nam si caritas deus est, nec proficit nec deficit
deus. Sic ergo dicitur in te perfici caritas, quia tu in ea pro-
ficis. Interroga ergo quantum in caritate profeceris,
et quid tibi respondeat cor tuum ut noveris mensuram
nobis profectus tui. Promisit enim ostendere quo cognosce-
remus eum: et ait, In hoc perfecta est dilectio in
nobis. Quaere in quo. Ut fiduciam habeamus
in die iudicii: ~~perfecta est in illo caritas~~ Quisquis
fiduciam habet in die iudicii: perfecta est in illo
caritas. Quid est habere fiduciam in die iudicii?
Non timere ne veniat dies iudicii. Sunt
homines qui non credunt diem iudicii: isti fiduci-
am habere non possunt in die quem venturum esse
non credunt. Praetermittamus istos: excitet illos
deus ut vivant. De mortuis ut quid loquimur?
Non credunt futurum diem iudicii: nec timent
nec desiderant quod non credunt. Coepit aliquis
credere diem iudicii. Si coepit credere: coepit et
timere. Sed quia timet adhuc, nondum habet
fiduciam in die iudicii, nondum est in illo perfecta
caritas. Numquid tamen desperandum est? In quo vi-
des initium, cur desperas finem? Quod initium
inquies? Ipsum timorem. Audi scripturam.
Initium sapientiae timor domini. Coepit ergo timere
diem iudicii, timendo corrigat se, vigilet
adversus hostes suos, id est adversus peccata sua.
Incipit reviviscere interius et mortificare membra

sua que sunt sup tra sic apls dicit. morti
ficate mebra vra q sunt sup tra. Spuales
neqcias meb dicit sup tra. Na sequit
et expoit. auaricia inmundicia et cetu que
illic exegit. Quantu aut mortificat iste
q timet cepit die iudicii meb sua sr tra-
tm surgunt et corroborant meb celestia.
Mebra at celestia: oia opa bo. Sur-
gentibz celestibz mebris: incipit desidera
re qd timebat. Timebit em ne veniret
xpc. et inveniret eu quem ipm dapnaret.
Desideat ut veniat: qr inveniet e ipm q
coronet. Jam cu cepit desideare veni
ente xpm casta aia q desideat amplexus
sponsi renunciat adultero: fit virgo interius
ipa fide spe et caritate habz ia fiduciam
in die iudicii. non contra se pugnat et dicit
qn orat adveniat regnu tuu. Q ei timet
ne veniat regnu dei. timet ne exaudiat. Quo
orat q timet ne exaudiat? Q at orat
cu fiducia. caritas optat ia ut veniat. De
ipo desiderio dicebat quidā i psalmo. Et
tu dne usqquo? Convte dne, et erue aiaz
meā. Gemebat se differri. Sunt ei hoies
q cu pacia moriunt. sunt at qda pfti. q cu
pacia vivunt. Quid dixi? Qui adhuc

desiderat istam vitam. quando illi venit dies mortis
patienter tolerat mortem/ luctatur adversus se ut
sequatur voluntatem dei. Et hoc pocius agit animo quod
elegit deus non quod elegit voluntas humana. Et
ex desiderio vite presentis fit lucta cum morte et
adhibet pacienciam et fortitudinem ut equo animo
moriatur. iste patienter moritur. Qui autem deside
rat sicut dicit apostolus dissolvi et esse cum christo
non patienter moritur/ sed patienter vivit de
lectabiliter moritur. Vide apostolum patienter viventem.
id est cum paciencia hic non amare vitam sed tolerare.
Dissolvi inquit et esse cum christo multo magis
optimum. manere in carne necessarium propter vos.
Ergo fratres date operam intus/ agite vobiscum ut
desideretis diem iudicii. Aliter non probatur perfecta
caritas. nisi cum ceperit ille dies desiderari. Ille
autem eum desiderat qui fiduciam habet in illo. Ille
autem fiduciam habet in illo. cuius consciencia non trepi
dat in caritate perfecta atque sincera. In hoc perfecta
est dilectio eius in nobis. ut fiduciam habeamus
in die iudicii. Quare habeamus fiduciam?
Quia sicut ille est. et nos sumus in hoc mundo.
Audisti causam fiducie tue. quia sicut ille est inquit
et nos sumus in hoc mundo. Nonne videtur
impossibile aliquid dixisse? Numquid et potest homo esse
sic deus? Iam vobis exposui. quia non semper
ad equalitatem dicitur sic. sed dicitur ad quandam similitudinem.

Quō em̄ dicis sicut aures habeo. alia & h[?]
ymago . nūq̄d omo sic? Et tn̄ dicis sic. ergo
Si fcī sumus ad ymaginē dei q̄re nō sic
deus sumus? Non ad eq̄litatē sz p mo
dulo nr̄o. Unde ergo nob dat fiducia i die
iudicij. quia sicut ille ē et nos sumus i h mūdo.
Debemus hoc referre ad ipam caritatē et
intelligere q̄d dcm̄ sit. Dns i euangelio dicit.
Si diligitis eos q̄ uos diligūt q̄ mercedē
habebitis? Nonne et publicani h̄ faciūt?
Quid ergo vult uos? Ego dico uob. Dili
gite inimicos vr̄os et orate p psequētib
uos. Si ergo iubet nos diligere inimicos nr̄os.
Un̄ nob dat exēplum? De ipso deo. Ait eī.
Ut sit filij patris vri q̄ in celis ē. Quō
illud facit deus? Diligit inimicos suos q̄ facit
solē suū oriri sup bonos & malos & pluit
sup iustos et iniustos. Si ergo ad hanc pfectionē
nos inuitat deus ut diligamus inimicos nr̄os
sicut ipse dilexit suos ea nob fiducia ē i die
iudicij. quia sic ille ē et nos sumus i hoc mūdo.
quia sic ille diligit inimicos faciendo solē suū
oriri sup bonos et malos et pluendo sup
iustos & iniustos. nos q̄ inimicis nr̄is non
possumus pstare solē et pluuiā pstemus
lacrimas cū p illis oramus. Ita ergo de ipa fidu
cia uidete q̄d dicatis. Uni intelligit pfecta

caritas. Timor non est in caritate. Sed er-
go dicimus de illo? qui timere cepit diem iu-
dicii? Si perfecta in illo esset caritas non timeret.
Perfecta enim caritas faceret perfectam iustitiam non
haberet ipse quod timeret, immo haberet quod desi-
deraret ut transeat iniquitas et veniat regnum
dei. Ergo timor non est in caritate. Sed in qua
caritate? Non in cepta. In qua ergo? Sed
perfecta caritas inquit foras mittit timorem.
Ergo incipiat timor: quia initium sapientie timor
domini. Timor quasi locum preparat caritati. Quando
cepit caritas habitare: pellitur timor qui ei prepara-
vit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit;
et quantum illa fit interior timor pellitur foras.
Maior caritas minor timor minor caritas
maior timor. Si autem nullus timor non est qua
intret caritas. Sicut videmus per setam intro-
duci linum. quando aliquid suitur: seta prius intrat
sed nisi exeat non succedit linum. Sic timor
primo occupat mentem non autem ibi remanet
timor. quia ideo intravit ut introduceret cari-
tatem. Iam facta securitate in animo quale gaudium
nobis est vel in hoc vel in futuro seculo? Et in hoc
seculo quis nobis nocebit plenis caritate? Vide-
te quomodo exultet apostolus de ipsa caritate. Quis
nos inquit separabit a caritate Christi? Tribula-

cio an angustia aut persecutio an fames an
nuditas aut periculum an gladius? Et petrus
dicit. Quis vobis nocere poterit si boni emulatores
fueritis? Timor non est in dilectione; sed perfecta di
lectio foras mittit timorem; quia timor tormentum
habet. Torquet conscientia peccatorum; nondum facta
est iustificatio; est ibi quod titillet, quod pungat.
Ideo in psalmo de ipsa perfectione iusticie quid dicit?
Convertisti luctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum
meum et circumdedisti me leticia, ut cantet tibi gloria mea
et non compungar. Quid est non compungar? Non
sit quod stimulet conscientiam meam. Stimulat timor sed
noli timere. Intrat caritas que sanat quod vulnerat
timor. Timor dei sic vulnerat quomodo medici
ferramentum putredinem tollit, et quasi videtur vulnus
augere. Ecce putredo quando erat in corpore, minus
erat vulnus sed periculosum. Accedit ferramentum
medici. Minus dolebat illud vulnus quam dolet
modo cum secatur. Plus dolet cum curatur quam si non
curaretur, sed ideo plus dolet accedente medicina
ut numquam doleat succedente salute. Occu
pet ergo cor tuum timor ut inducat caritatem; succe
dit cicatrix ferramento medici. Talis est me
dicus ut nec cicatrices appareant; tu tantum sub
de te dextere illius. Nam si sine timore es,
non poteris iustificari. Sententia data est de
scripturis. Nam qui sine timore est non poterit iustificari.

Opus est ergo ut intret timor primo: per quem
ueniat caritas. Timor medicamentum: caritas sa
nitas. Qui autem timet: non est perfectus in caritate.
Quare? Quia timor tormentum habet: quo
sectio medici tormentum habet. Est autem alia
sententia. que uidetur huic esse contraria: si non ha
beat intellectorem. Dicitur enim quodam loco in
psalmo. Timor domini castus permanet in seculum
seculi. Eternum nobis quendam timorem ostendit, sed
castum. Si ergo si ille eternum timorem nobis ostendit,
numquid contradicit illi forte ista epistola que dicit timor
non est in caritate. sed perfecta caritas foras mittit
timorem? Interrogemus ambo eloquia dei. Spiritus
unus est. et si codices duo. et si ora duo et si
lingue due. Hoc enim dictum est per iohannem:
illud dictum est per dauid. Sed nolite putare
alium spiritum esse. Si unus flatus inflat duas
tibias: non potest unus spiritus implere duo corda a
gitare duas linguas? Sed si spiritu uno id est
uno flatu implete due tibie consonant: implete
due lingue spiritu dei dissonare possunt? Ergo est
ibi quedam consonantia est quedam concordia. sed audi
torem desiderat. Ecce inspirauit et impleuit duo
corda. duo ora mouit duas linguas spiritus
dei. et audiuimus ex una lingua timor
non est in caritate sed perfecta caritas foras mittit
timorem. audiuimus ex alia timor domini castus

permanet in seculum seculi. Quid est hoc? Quasi
dissonat. Non. Erigite aures, intende me
lodyam. Non sine causa hic addidit castus, illic non
addidit; nisi quia est timor aliquis qui dicitur castus, est et
aliquis timor qui non dicitur castus. Discernamus istos
duos timores: et intelligimus consonantiam tibi
arum. Quomodo intelligimus vel quomodo discernimus?
Attendat caritas vestra. Sunt homines qui propterea
timent deum ne mittantur in gehennam: ne forte
ardeant cum dyabolo in igne eterno. Ipse est
timor ille qui introducat caritatem: sed sic venit
ut exeat. Si enim adhuc propter penas times
deum: nondum amas quem sic times. Non bona
desideras sed mala caves. Sed ex eo quia
mala caves corrigis te et incipis bona desi
derare. Cum bona desiderare ceperis: erit in te timor
castus. Quis timor castus? Ne amittas
ipsa bona. Intendite. Aliud est timere deum
ne mittat te in gehennam cum dyabolo: aliud
est timere deum ne recedat a te. Ille timor quo
times ne in ignem eternum mittaris cum dyabo
lo nondum est castus, non enim venit ex amore
dei sed ex timore pene. Cum autem times deum
ne deserat te presentia eius et amplecteris eum:
ipso frui desideras. Non potest melius ex
planari quid sit inter istos duos timores, unum
quem foras mittit caritas, alterum castum qui

permanet in seculum seculi. Nam ponas duas
mulieres maritatas. quarum unam ita consti-
tutam volentem facere adulterium delectari ne-
quitia. sed timet ne dampnetur a marito. Timet
maritum. sed quia adhuc amat nequitiam. ideo
timet maritum. Huius non gratum sed onerosa est
mariti presentia. Et si forte vivit nequiter timet
maritum ne veniat. Tales sunt qui timent ne ve-
niat dies iudicii. Fac alteram amare virum
debere illi castos amplexus nullam se adulte-
rina inmundicia maculare. optat presentiam viri.
Et quomodo discernuntur isti duo timores. Timet ista:
timet et illa. Interroga quasi unum et respondet.
Respondeat illa. Times virum? Timeo.
Interroga et illam si timet virum. Respondet. Timeo.
Una vox est. sed diversus animus. Iam ergo interro-
gentur. quare. illa dicat timeo virum ne veniat.
illa dicit timeo virum ne discedat. Illa timeo ne
dampner. illa dicit timeo ne deserar. Pone hoc
in animo christianorum. et invenis timorem quem foras
mittit caritas. et alium timorem castum permanentem
in seculum seculi. Loquimur ergo huic primo qui sic timet
virum quomodo illa mulier quam delectat nequitia. timet
enim virum ne dampnet illam. Talibus primo loquimur.
O anima que sic times deum ne dampnet te deus. quomodo
timet mulier illa quam delectat nequitia. timet virum ne
dampnetur a viro. quomodo enim displicet illa mulier displicet
et tu tibi. Si forte habes uxorem. numquid vis

ut sic te timeat uxor tua ne dampnet. absit te
ut delectet illa nequicia. sed pondere timoris tui
reprimatur. non dampnacione iniquitatis. Castam
eam vis ut te diligat: non ut te timeat. Exhi-
be te talem deo qualem vis habere uxorem. Et si
nondum habes et habere vis: talem vis habere.
Et ipsi dicimus fratres. Illa mulier que ideo timet
virum ne dampnetur a viro forte non facit adul-
terium. ne aliquo modo perveniat ad virum. et tollat
illi lucem istam temporalem. Potest autem vir ille et falli.
Homo est enim sicut et illa: qui potest fallere. Timet
illa cum certus cuius oculos potest esse: tu times
faciem super te dei tui. Vultus autem domini super
facientes mala. Captat illa absenciam
viri sui et temptatur forte delectacione adulterii et
dicit sibi tamen non faciam. absens est quidem ille, sed
difficile est ut non ad illum quoque perveniat.
Timet se ne perveniat ad hominem qui potest et nescire,
qui potest et falli qui potest et bonam et malam suspi-
cari. qui potest et castam suspicari quam adulteram esse. tu
non times oculos eius quem fallere nemo potest: tu
non times eius presenciam que averti a te non potest. Ro-
ga dominum ut tueatur te. et avertat faciem a peccatis
tuis et dic. Averte faciem tuam a peccatis meis. Sed
unde mereris ut ille faciem avertat a peccatis tuis
si tu non avertas faciem a peccatis tuis. ipsa enim
vox est in ipso psalmo. Quoniam iniquitatem meam ego agnos-
co et peccatum meum contra me est semper. Tu agnosce:

et ille ignosceret. Allocuti sumus eam que habet
adhuc timorem, non permanentem in seculum seculi. sed
quem caritas excludit et foras mittit. alloqua-
mur et illam que habet iam timorem castum permanentem
in seculum seculi. Putamus invenimus illam? ut
alloquamur eam? Putas est in hoc populo? Pu-
tas est in ista ecclesia? Putas est in ista terra?
Non potest nisi esse sed latet: hyemps est. Intus
est viriditas in radice: forte invenimus et
aures illius. Sed ubicumque est illa anima utinam illam
invenire est. Et non aures eius prebet mihi. sed aures meas
illi, illa me doceret aliquid potius quam a me disceret.
Anima quedam sancta ignea et desiderans regnum dei: hanc
ego non alloquor sed deus. Ipse et patienter vivite in
hac terra ita consolatur. iam vis veniam et ego novi
quia iam vis ut veniam. Novi qualis es ut secura
expectes adventum meum: novi quia molestia
est tibi. Sed magis expecta tolera. venio et cito
venio sed amanti tardum est. Audi eam cantantem
tanquam lilium de medio spinarum. audi suspirantem
et dicentem. Psallam et intelligam in via immaculata:
quando venies ad me. Sed in via immaculata merito
non timet: quia perfecta caritas foras mittit timorem. Et
cum venerit ad eius amplexum timet. sed securiter. Quis
timet cavet et observabit ab iniquitate sua. ne
iterum peccet non ne mittatur in ignem sed ne deserat
ab illo. Et erit in illa. Quid? Timor castus:
permanens in seculum seculi. Audivimus duas

tibias consonantes. ille de timore dicit, et ille de
timore dicit; sed de timore ille quo timet anima
ne dampnetur? ille de timore quo timet anima ne de-
serat? Ille est timor quem caritas excludit; ille est
timor permanens in seculum seculi. Nos ergo diliga-
mus deum: quoniam ipse prior dilexit nos. Nam unde
diligeremus? nisi prior dilexisset nos? Diligendo
amici facti sumus? sed inimicos ille dilexit, ut amici
efficeremur? Prior dilexit nos? et donavit nobis ut
diligeremus eum. Nondum diligebamus eum? diligen-
do pulchri efficimur? Quid facit homo deformis et
distorta facie? si amet pulchram? Aut quid facit
femina deformis et distorta et nigra? si amet
pulchrum? Numquid amando poterit esse pulchra?
Numquid et ille amando poterit esse formosus? Si
amat pulchram et quando se in speculo videt, erubescit
levare faciem ad illam formam suam quam amat? quid
faciet ut pulcher sit? Expectat ut veniat pul-
chritudo? Immo expectando senectus additur
et deformiorem facit. Non est ergo quid agas, non est quomodo
illi des consilium, nisi ut compescat se et non audeat
impar amare imparem. aut si forte amat et ducere
uxorem optat, ut et illa castitatem amet, non
carnis faciem. Anima vero nostra fratres mei feda
est per iniquitatem. amando deum pulchra efficitur?
Qualis amor est qui reddit pulchram amantem?
Deus autem semper pulcher est? numquam deformis numquam
commutabilis. Amavit nos prior qui semper est pulcher,

Et quales amavit? nisi fedos et deformes?
Non ideo tamen ut fedos dimitteret sed ut mutaret
et ex deformibus pulcros faceret. Quomodo erimus
pulchri? Amando eum qui semper est pulcher. Quantum
in te crescit amor tantum in te crescit pulchritudo:
quia ipsa caritas est anime pulchritudo. Nos ergo
ipse diligamus deum: quia prior dilexit nos. Audi
apostolum paulum. Ostendit autem deus dilectionem suam
in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus: christus
pro nobis mortuus est iustus pro iniustis pulcher
pro fedis. Quomodo invenimus pulcrum ihesum? Spe
ciosus forma pre filiis hominum diffusa est gratia in labiis
tuis. Unde. ite? Videte unde sit pulcher. Spe
ciosus forma pre filiis hominum. quia deus. quia in principio
erat verbum et verbum erat apud deum et deus erat verbum.
Quia vero carnem suscepit. qui feditatem tuam
suscepit id est mortalitatem tuam. ut aptaret se
tibi et congrueret tibi. et excitaret te ad amandum interiorem
pulchritudinem. Unde ergo invenimus quia fedus et
deformis dicitur sicut invenimus. quia pulcher et
speciosus pre filiis hominum? unde invenimus quia et de
formis est? ysayam interroga. Et vidimus eum et
non habebat speciem neque decorem. Ille sunt due
tibie quasi diverse sonantes: sed unus spiritus
ambas inflat. Hac dicitur. speciosus forma pre filiis
hominum. hac dicitur in ysaya vidimus eum et non habebat
speciem neque decorem. Uno spiritu ambe implentur tibie,

non dissonant. Noluit aurem autem adhibere in-
tellectum. Interrogemus paulum apostolum: et exponat
nobis consonanciam duarum tibiarum. Sonet nobis spe-
ciosus forma pre filiis hominum qui cum in forma dei esset non
rapinam arbitratus est esse se equalem deo ecce spe-
ciosus forma pre filiis hominum. Sonet nobis etiam
iudicium eius et non habebat speciem neque decorem. sed
semetipsum exinaniuit formam servi accipiens
in similitudinem hominum factus et habitu inuentus ut
homo. Non habebat speciem neque decorem:
ut tibi daret speciem et decorem. Quam speciem quem
decorem? Dilectionem caritatis: ut amans curras.
currens ames. Pulcher es iam sed noli attendere
ne perdas quod accepisti. illum attende a quo factus
es pulcher. Ideo sis pulcher ut ille te amet. tu
autem totam intencionem tuam in illum dirige ad illum
curre. eius amplexus pete. ab illo time disce-
dere ut sit in te timor castus permanens in seculum
seculi. Nos diligamus: quia ipse prior dilexit
nos. Si quis dixerit diligo deum. Quem
deum? Quare diligimus? Quia ipse prior di-
lexit nos: et donauit nobis diligere. Dilexit
impios ut faceret pios: dilexit iniustos ut faceret
iustos: dilexit egrotos ut faceret sanos. Ergo
et nos diligamus: quia ipse prior dilexit nos.
Interroga unumquemque dicat te diligit deum. Cla-
mat confitetur: diligo ipse scit. Est et aliud unum
interroget: Si quis dixerit inquit diligo

deum et fratrem suum odit mendax est. Unde probas
quia mendax est? Audi. Qui enim non
diligit fratrem suum quem videt, deum quem non
videt quomodo potest diligere? Quid ergo? Qui diligit
deum gitur fratrem diligit? Necesse est ut diligat
deum: necesse est ut diligat ipsam dilectionem.
Numquid potest diligere fratrem, et non diligere dilectio
nem? Necesse est ut diligat et dilectionem.
Quid ergo, quia diligit dilectionem, ideo diligit deum?
Utique ideo diligendo dilectionem deum diligit.
An oblitus es quod paulo ante dixisti: Deus dilectio
est? Si deus dilectio est: quisquis diligit dilectionem
deum diligit. Dilige ergo fratrem: et securus
esto. Non potes dicere diligo fratrem: sed non
diligo deum. Quomodo mentiris si dicas diligo
deum quando non diligis fratrem: sic falleris si quando
dicas diligo fratrem, putas quia non diligis deum.
Necesse est qui diligis fratrem diligas ipsam
dilectionem. Dilectio autem deus est. Necesse est
ergo ut diligas deum: quisquis diligis fratrem.
Si autem non diligis fratrem quem vides: deum quem
non vides quomodo poteris diligere? Quare non
videt deum? Quia non habet ipsam dilectionem.
Ideo non videt deum: quia non habet dilectionem. Ideo
non habet dilectionem: quia non diligit fratrem. Propterea
ergo non videt deum: quia non habet dilectionem.

Nam si habet dilectionem deum videt quia deus
dilectio est. Et purgatur oculus ille magis magisque
dilectione, ut videat illam incommutabilem substantiam
cuius presentia semper gaudeat, qua perfruatur in eternum
coniunctus angelis. Sed currat modo, ut aliquando in
patria letetur. Non amet peregrinationem, non
amet viam. Totum amarum sit preter illum qui vocat,
quousque inhereamus illi et dicamus quod dictum
est in psalmo. Perdidisti omnes qui fornicantur
abs te. Et qui sunt qui fornicantur? Qui discedunt
et amant mundum. Tu autem quid? Sequitur
et dicit. Michi autem inherere deo bonum est.
Totum bonum meum inherere deo gratis. Nam
si interroges et dicas quare inheres deo et dicat
ut donet michi. Quid tibi donet? Celum ipse fecit
terram ipse fecit. Quid tibi donaturus est? Iam
inheres illi invenies melius et donet tibi? Qui
non diligit fratrem suum quem videt deum quem non
videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum
habemus a deo, ut qui diligit deum, diligat et
fratrem suum. Magnifice dicebas diligo
deum, et odis fratrem? O homicida, quomodo
diligis deum? Non audisti superius in ipsa
epistola? qui odit fratrem suum homicida est?
Sed prorsus diligo deum, quamvis oderim
fratrem meum. Prorsus non diligis deum, si

odisti fratrem. Et modo probo alio documento.
Ipse dixit. dedit nobis preceptum ut diligamus
invicem. Quomodo diligis eum cuius odisti precep-
tum? Quis est qui dicat diligo imperatorem
sed odi leges eius? In hoc intelligit impera-
tor si diligis eum. si observentur leges eius
per provincias. lex imperatoris que est? Mandatum
novum do vobis: ut diligatis invicem. Dicis er-
go te diligere Christum: serva mandata eius.
et fratrem dilige. Si autem fratrem non diligis:
quomodo eum diligis cuius mandatum contempnis.
Fratres ego non satior loquendo de caritate
Christi. quantum et vos habetis huius rei avari-
ciam. tantum speramus quod crescit in vobis ipsa et
foras mittit timorem ut remaneat ille timor
castus permanens in seculum seculi. Toleremus mundum
toleremus tribulationes eius. toleremus scandala
temptationum. non recedamus a via. Teneamus
unitatem ecclesie. teneamus Christum. teneamus
caritatem. non divellamur a membris sponse e-
ius / non divellamur a fide ut gloriemur in
presencia eius et securi manebimus in eo modo per fide
tunc per speciem cuius tantam arram habemus donum spiritus
sancti Explicit omelia ix. incipit omelia x.
ab eo quod ait. omnis qui credit quod Ihesus sit
Christus. ex deo natus usque ad id quod ait. Hec est
dilectio dei. ut precepta eius servaretis.